



- 1.) do. ausg. <sup>do</sup>  
 2. Kippag. Diss. de Historia episcoporum romanis ab Epope  
 3. Nolterij. Dissert. de Olympia. Morata vita  
 4. Darmund. Vita Roth. Ern. Tentely  
 5. Enckenq. Diss. de Memoires  
 6. Ballenpedy. vita M. Satijq. Cor. Wogenb.  
 7. Freithaupty. vita Götteliß. Helmst.  
 8. Teubeni. Diss. de paradyso terrestri  
 9. Luff. Abel. Epitome Monarchiarum  
 10. Bas huyzen de fectis IV Monarchiarum  
 11. Nollerij. Diss. de anno Præterbienti  
 12. Rosen. de Palladio  
 13. M. Greeney II. Diss. de Sibyllis <sup>Sp. C. Cratius</sup>  
 14. Salpij. Dissert de Laudibz retent. German.  
 15. Ditmari. Hist. Comitatus Teyskerbant  
 16. Ag. Straeckis. Diss. de Islandia  
 17. Joh. Olliequart. Historia caroli Gustavi  
 regis Suecor. aa. Descriptio  
 virtutum Reg. Kristine  
 18. H. G. Thaumator. Diss. de ordine  
 Equitum S. Georgij & per seculidis  
 20. Vortzebeis. Diss. Trum antique. numismata  
 Plautilla, Antonini Caracalla & Galies  
 21. Grossv. in d. do. Roth. Recens. von Berth  
 Seem. v. Flemming. d. C. Quay. von Berth  
 22. ————— Juwyl. v. Pfleg. und  
 23. Leuckfelds. Hist. Nachriss 1779. d. Mönchen  
 680 bib. go. pap. all. genovensis





11

# EPITOME Famosisimiarum **MONARCHI- ARUM,**

Qvarum non Qvatuer tantum, sed multo  
plures, ad imperium Orbis, ante & post Christi Nati-  
vitatem adspirasse, & imposterum quoqve ad-  
spiraturas esse, evincitur,

Simulqve

Domini Patroni, Fautoresqve, ad Actum Ora-  
torium de hodiernis Monarchiæ Hispanicæ fatis,  
d. 19. Jan. 1706. h. 8. antem, & seqv. Honofificâ

sua præsentia ornandum,

perofficiose invitantur

â

**CASP. ABEL,**

Rect. Schol. S. Johann. Halberst.

---

HALBERSTADIA,

Typis Joh. Erasmi Hynitzsch, Reg. Borusf. Typogr.

§. L.

**C**ertamus jam de Monarchia Hispanica, cum Gallis, Hispanorum hodie lubricis vestigiis  
haud firmiori forsitan tali insistentibus, & Quintam Monarchiam, qva illi exciderunt, ausu Phae-  
thonteo molientibus: Neque ego is sum, qvi causæ eo-  
rum deploratae patrocinari, eosqve ista nimia cupiditatis  
suspicione liberare sustineam: sint sane, fuerintqve dudum  
infensissimi publicæ libertatis hostes, qvi Monarchiam  
Orbis universi affectantes, saluberrimum ægrotantis  
Europæ otium ferali bello infeliciter interpellent: Fruan-  
tur autem communi isto omnium miserorum solamine,  
qvod nempe socios malorum habuerint, & istud eorum  
institutum à moribus aliarum gentium non abhorreat.  
Pervulgata qvidem illa de quatuor grandibus Monarchiis  
sententia, penitus jam infedit atqve inveteravit in Histori-  
corum monumentis, cui & aurea illa somnia, de Quinta  
Monarchia adornandâ, originem suam debere videntur;  
mihi vero persassissimum est, nullam unquam exstisisse  
Monarchiam, si voce istâ unum, grande & vastum, pene  
totius Orbis imperium designandum sit; Cum & ipsi Ro-  
mani (pro Dominis tamen terrarum, imo totius oīsme-  
ns habit, ) parvam admodum mundi portionem, & si  
amplitudinem spectare velis, vix Hispanicis comparan-  
dam provinciis, ditione sua tenuerint, Assyriorum vero  
Persarum, Macedonumque adeo decantatæ Monarchiæ  
ne

(3.)

ne Russico quidem Imperio præferendæ fuerint; Cæterum si Monarchiam ita definiamus, ut sit Regnum, omnibus aliis suo tempore Majestate & opibus antecellens, arbitriumq[ue] belli & pacis sibi qvodammodo arrogans, tunc certe non tantum qvatuor, sed multo plures nullo negotio inventari poterunt; qvod cum peculiari qvodam libello, brevi, si Deo & Patronis placuerit, in lucem edendo, pro mea tenuitate prolixius edifferere constituerim, operæ me pre-tium facturum putavi, si hâc occasione summas ejus tantummodo attingerem, æqvoq[ue] Benev. Leet. judicio sub-jicerem.

§. II.

ASSYRIIS autem merito primas deferimus: NIM-<sup>(1)</sup> ASSR-  
RODES (1) enim procul omni dubio Primus Monarcha,  
seu ut mentem meam clarius exprimam, primus fuit, qui  
legitimis regionis suæ finibus non contentus, iniquum in  
alios usurpavit dominium, eqve Terra Sinear s. Babylo-  
niâ egressus (2) Assyriam qvoq[ue] vi bellica subegit. An  
vero suarum fortunarum vitiorumq[ue] hæredes habuerit,  
nec ne, haud facile dictu est, cum scriptura nullam eorum  
mentionem fecerit, nisi quis cum Josepho (1. Ant. i. c. 9.  
& l. 5. c. 3.) Kedorlaomerem Elamitarum Regem, (3)(b) Keder-  
ejusq[ue] socios Bello Sodomiticō insig[n]es, nec non illum laomer.  
Mesopotamia Regem, Israelitis post obitum Josua gravem, (c) Ca-  
siajim.  
Assyriis vindicare velit, qvod tamen ut incompertum in schata-  
medio relinqimus.

(1) Nimrodes Josepho dicitur Nabrodes, Arabibus vero qui  
multafabulosè de eo narrant, Neubrouit. (2) docti quidem  
de voce Assur Gen. 10. ii. inter se litigant, nobis tamen il-  
lorum potior est sententia, qui eam non homini sed regio-  
ni convenire putant. (3) Elamita tunc nondum videntur  
eam terram obtinuisse, qvæ postea Persia dicta est, sed in  
Syria s. Mefopotamia ad Euphratēm forte sedes suas habu-  
isse,

A 2

(4.)

is, qvid enim illis alioqui cum Sodomitis rei fuisse? Non nulli tamen prædatoriam hanc turbam & variis gentibus & Scythis qvoque (ut Symmachus vocem Goji, vertit) conflatam fuisse, & hoc pertinere arbitrantur, qva Justinus I. 2. c. 3. de Scythis. diu ante Nini tempora Asiam percurrentibus, refert.

§. III.

(2) Proximi Assyriis, longo tamen intervallo ISRAELITÆ  
ISRAE- tuerunt, qvos licet (1) Ethnici ignorarint, à nobis tamen  
LITICA. dissimilandi non sunt, cum ipse Deus S. Scripturæ autor,  
illusterrimam maximæ Dignitatis & potentia prærogati-  
vam illis dederit, suoque eam testimonio ita confirmâit,

(4) Davi- ut in dubium vocari nequeat, Etenim DAVIDES (2) Rex  
da. eorum secundus, pietate sanctissimis viris, virtute vero &  
fortuna summis par fuit Heroibus. Cananæos, Palæstinos,  
Idumæos, Amalekitas, Moabitas, Ammonitas, & Syros,  
multis præliis obrivit, totumqve adeo nec exiguum sane  
Asiæ tractum ab Euphrate usque ad Ægypti fines in suam  
redegit potestate: qvin imo illos qvoque Syrorum Re-  
gulos qvi trans Euphratem in Mesopotamia Hadad-eseri  
Regi Zobæ antea paruerant, eiqve auxilium tulerant, ma-  
jestatem suam venerari, & imperata facere coegit, vid. I.  
Reg. 5, 8, & 10. item I. Chr. 10, & 20.

(b) Salo- SALOMON (3) au-  
mon. tem filius ejus omnibus omnium gentium Regibus ma-  
gnitudine suâ induxit caliginem, Monarchiamqve à Patre  
bello fundatam, pace consolidavit: Hierosolymam tem-  
ple aree alisqve ædificiis sumtuosissimis exornavit, mul-  
tas insuper urbes, & speciatim Hematham in Syria, Pal-  
myram vero ad Euphratem communivit, portum qvoque  
Ailatensem in Idumæa struxit, unde navigationes in Ophi-  
ram (4) nec patri suo plane incognitam, I. Chr. 30. v. 4.  
insticueret, conf. I. Reg. 9. & 10. 2. Chr. 8. & 9. Evidem  
Reha-

(5)

Rehabeamus stolidā sua ferocia maximam concitavit seditionem, quæ Israelitarum res non parum afflixit. Ejus vero successores Abiamus, rebellem Jeroboamum, Asas, Serachum s. Memnonem Sufianum, & Josaphatus, Ammonitas, Moabitæ, Idumæosque, ingentibus cladibus afficerunt, nec minus tamen omnia sensim ruere cœperunt, & retro sublapsa referri, donec Regna Israelitarum & Iudeorum ab Assyriis Chaldaëisque funditus everterentur.

(1) Ignorantiae hujus causam hanc Josephus afferit l. i. c. Ap.

*Israelitarum civitates procul à mari fuisse, quoque arationem mercatura preulisse, accessisse quoque secretam vivendi rationem, unde alia populis non potuerint innescere; qua quidem non improbamus, nec tamen illo argumento utenir, cum & Israelitas & Syros Assyriis olim annumeratos fuisse, pro certo habeamus, vid. Herod. l. 3, c. 5. Justin. l. 1. c. 2. l. 18. c. 3.*

l. 36. c. 2.

(2) Davidem esse illum Tautanem s. Eutæum crede:em, qui in Assyriorum Regum Catalogo existat, nisi tam illam monstrolorum nominum seriem ab otioso quodam nugatore conscriptam esse facile appareret.

(3) Salomonis etiam meminit Menander in annalibus Tyrorum, & Dius apud Joseph. l. Ant. 8. c. 2. & l. i. c. Apion.

(4) Ophiram non esse Americam, sed Indiam potius, totamque illam Africæ oram quæ rubro Mari alluitur, Tarfin vero (quæ Latinorum Tartessus) Mediterraneanum & Atlanticum mare significare, indubium nobis est.

§. IV.

Ægyptii Syriqe Israelitis interponendi videntur, Siqvi. *ÆGYPTIACÆ.*  
dem Sesacus s. Selostris *Ægyptiorum Rex Monarchiâ* Israeliticâ intestinis turbis labefactata, occasionem à fortuna datam non neglexit, magnamque Asiæ & Africæ, immo nonnullam quoque Europæ partem perdomuit. Ejus successor Rhamses admodum longævus fuit, at filium uni-

*(a) Sesostris.*

*(B)*

cum,

A 3

(6.)

(y) *Ame-* cum, regniqve Consortem, Amenophin, quem protani  
*nophis.* Scriptores Memnona, Sacri vero Serachum appellant, ex  
Asia, denuo ad obseqvi necessitatem redacta, redeuntem, in  
finitima Iudea amisiſ (1) unde postea, cum ipse nulla virili  
ſobole relicta fatis concessifſet, generumqve ejus, ſurem  
iſtum ſolertissimum, quem Græci propterea Proteum no-  
minant, indignabund: Aegyptii repudiaffent, πολυκοιρα-

(4) *SYRIA.* *virutis* à Sesaco ipſis injectum excusserunt. Tum vero Sy-  
CA. ri invaluerunt, magnaqve & cruenta bella cum Israelitis  
(a) *Ben-* potiſſimum & Iudaic gesserunt. Reges eorum plerumqve  
*Hadadus* Ben-Hadadi (4) vocabantur, veruntamen & Hafaelis glo-  
I. & II. rioria memo:ia invidas oblivionis tenebras ſuperavit. Ul-  
(b) *Haf-* limus eorum Rezinus fuit, qui Hierosolymam oppugnare  
el. ausus, ab Assyriis ſubſidio venientibus ad internectionem  
victus eſt. (5)

(1) *Vit.* Diftart, noſtra de Clade Serachi, ubi hanc materiam ex  
professo tractavimus. (2) Herodotus l. 2. Proteum virum Mem-  
potem, inter Pheronem Sesofris filium, & Rhampsinitum, qui filiam  
ſuam furſuprum dederit, collocat, in hunc errorem inductus  
quod Pheronem & Rhampsinitum unius Regis nomina,  
diverſos denotare putavit. (3) πολυκοιρανη istam Sab-  
acon Aethiops oppreſſit, eo v. poſt necem filii Tearchonis, &  
Senacherime Aſſyrio cœſi, in Aethiopiam refugiente, denuo  
Δωδεκαχια Aegyptum turbavit, quam tandem Pla-  
metichus plane ſuſtulit; vid. Herod. l. 2. (4) Josephus l. Ant. 7.  
c. 6. nomen Adadi omnibus Damascenorum Regibus, communis,  
& ab illo Adado deductum fuſiſe, qui crebris cum Davide Iude-  
rum rege concertaris prelia, ex Nicolaio Historico refert.  
(5) qvanta horum Syriæ Regum potentia fuerit, non modo ex  
S. Codice librisqve Regum & Chronicorum, ſed etiam ex Jo-  
ſephō ſatis ſuperque conſtat, qvippe qvi l. Ant. 8. c. 8. triga-  
duos

(7.)

duos illos Reges Benhadado inservientia ex Mesopotamia fuisse au-  
tumatis l. 9. c. 2. vero tam Adadum quam ejus successorem Azae-  
lem, divinis suo adhuc tempore apud Syros cultos fuisse honoribus,  
memorat, tum propter alia beneficia, tum quod magnificis templis  
exstructis Damascum ornatiorem reddiderint, unde & eorum  
effigiem quotidianis pompis honorarint, & antiquitatem illorum  
jactariint, nescientes, nondum centum supra mille annos ab eorum  
creare intercessisse. Justinus quoque aliquid de iis inaudivisse  
videtur, quandoquidem eorum nomina (l. 36. c. 2.) inverso  
tamen ordine, & fœdo errore, ante Abrahamum & Israelem  
ponit.

§. V.

Syris itaque & Israelitis mutuâ contentione fractis at- (5)  
que enervatis, Assyrii tandem (1) emiserunt, rerumque ASSY-  
in Asia potiti sunt. Primus eorum Monarcha (2) Belus f. RIACA.  
Pulus regio proprio vero & integro nomine Thiglath-Pil. (a) Belus.  
Ester appellatus, Armenos primum Medosque & Chalda-  
eos contudit, inde Euphrate trajecto Syriam occupavit,  
Israelitasque & Judæos vestigales sibi fecit. Filius ejus (5)  
Ninus f. Nabon-assar & Salman-assar patre adhuc vivo (b) Ninus  
maximis bellis non interfuerat solum, sed & præfuerat, eo-  
que defuncto, conatus primum Sabaconis represist  
Æthiopum Ægyptiorumque Regis, quem S. literæ Soum  
vocant, (2. Reg. 17. v. 4.) & cum quo jam pater ipsius de  
Syria armis contenderat; postea Israelitas, Phoenices,  
Cilices, aliosque minoris Asiae incolas, nec non in superio-  
ri, Hyrcanos, Perias, Caramanos, Bactrianos, plures-  
que ignobiles gentes debellavit, ad ultimum vero non ab  
uxore, sed filio Semiramide f. Senacherime, (4) per insidi- (c) Semir.  
as è medio sublatu est. Mira sane Metamorphosis Viri in ramis.  
fæminam, filii in Uxorem, nec tamen inaudita. Sic enim,  
ut unicum tantum exemplum (5) (qvorum plura in prom-  
tu

tu sunt) afferam, divinum quoque Israëlitarum legislatorem Mosen ab Alexandro Polyhistore in Mulierem Moso absurde transformatu in fuisse Berneggerus ē Svida ad Just. 36. 2. observat. Cæterum nos hoc alio tempore apertius explanatur sumus, jam vero sufficiet nobis, obiter modo indicasse, quia factum sit, ut Senacherimes lexū quasi mutarit. Irruperat ille in Iudæam, oppidisqve minoribus expugnatis ipsam Merropolin adoriri volebat Hierosolymam, cum Tearchonem Aethiopem, Sabaconis filium, magnas copias ducentem, ex Aegypto adventare, & jam prope adesse, cognovit. Ei itaque obviam processit, manuque cum eo consertâ eum confecit. Quo facto Rablacen cum bene magno exercitu in Iudæa reliquit, ipse v. copiis undique contractis impetum in Aegyptum fecit, illo tempore Rege carentem; nam Sabacon interitu filii & adventu Assyriorum auditio, in Aethiopiam se interiorem receperat, totamque Aegyptum arbitrio victoris Senacherimis permiserat, quam & ille per tres annos ferro & igni crudeliter devastavit, Asdotum cepit, Thebas diripuit, Pelusium vero urbem munitissimam, arcta obsidione presidit, eam tamen præter omnem spem solvit, atrocissimo scilicet nuncio de suis in (6) Iudæa divinitus prostratis vehementissime perculsus, animoqve concidens Assyriam præcipiti fugâ repetit, ubi otium postea ignavum, & obscenas voluptates bellicis in tantum prætulit laboribus, ut contumeliosum (7) terminæ nomen ab hostibus ei & rebellibus, Medis, Chaldæis, aliisque, flagitiorum morum causa inditum, seræ quoque posteritati erroris ansam præbuerit. Parricidam demum parricidæ filii natu majores in templo trucidarunt, iis autem concursu populi in exilium actis, minimus ei (8) Ninyas succedit, qui tamen

tamen Asar-hadon-Pali s. Sardanapali nomen sibi postea (d) Sarda-  
assumisit. Illum quidem plerique omnibus & certatim <sup>n</sup> napalii.  
quasi proscindunt conviciis, nihilominus eum regno suo  
diutissime præfuisse, nec inglorium plane aut ignobilem  
fuisse, asseverare ausim, qvia Phraorte Medorum, & Rege-  
bele Babyloniorum regibus magno prælio concisis, Ecb-  
tanam, Babylonemque recuperavit, mox qvocq Regem Ju-  
daeorum Manassem (9) cepit, eum tamen Holopherne s. Os-  
naphare (Efr. 4.10) Duce suo à Judæis profligato, & Asdotho  
ab Agyptiorum Rege Psammeticho post obsidionem 29.  
annorum ad deditioñem compulsa, in regnum suum resti-  
tuit; Medis vero auctore Cyaxare Phraortis filio denuo  
tumultuantibus Scythes immisit, qvi eos per 28. Annos in  
officio continuerunt, nec tamen fatalem Monarchiæ Assy-  
riacæ terminum avertere potuerunt: qvippe Cyaxares  
iis interemtis aut expulsis, fedus cum Nabo-pol-assa-  
re Babyloniorum Præfecto, contra Sardanapalum, fel-  
sum jam senio, & ad munia belli invalidum, init, eumque  
tandem omni spe salutis destitutum violentas sibi ipsi ma-  
nus inferre coegerit.

(i) Qva suspectam reddant vulgarem opinionem de Assyrio-  
rum Monarchis, haud interrupta serie ab ipso Nimrode deri-  
vandis, immanibusqve eorum bellis altero jam post cata-  
clysmum seculo gestis, Dn. Cellarius dudum in Hist. sua anti-  
qvâ, & nuper in Dissert. de Principio Regnorum atqve Histo-  
riarum attulit; Actum igitur nos non agemus: Hoc interim  
pro certo & comperto afferimus, aut omnia plane confita  
esse, qva de Belo, Nino, & Semiramide, Ctesias, Diodorus  
aliisque tradunt, aut his eos temporibus vixisse, qvibus ipsa S.  
Scriptura Assyriorum res florentissimas fuisse ostendit. Eis  
a. tantam antiquitatem falso adscriptam non mirum est, cum  
idem Sesostris, & Amenophi, Adado atqve Hasaeli, pluribus  
que aliis, usu venisse sciamus.

(1) Voces è quibus Nomen hoc compositum, significant (a) Basal, Bal, Bel, Pal, Pel, Pil, Pol, Pūl, Dominum ac Principem, & que ac Kan. s. Kang, Cagan, Cham, Chingis, King, Cining, Kongh, Konic, Chuoning, Kunig, Kyning, nostrum Rōng.

(b) Thiglath Sagittam, fluviumque Tigridem ob summam rapiditatem ita dictum, (c) azar, effer, isar, osor, &c. ignem fulmen, planetamque Martem, Pulum v. & Thiglath-Pilearem non esse distinguendos, tum nominis temporisque convenientia clare indicant, tum quoque ex 1. Chron. 5, 26. ab unde colligi potest.

(3) Ninus vel è radice Nin filius, (ut Principis Regii titulus, nostrumque fortasse Cron-Prinz fuerit,) vel potius à Nabonassar provenit, Nabon propter Euphoniam in Nebin mutato, factaque transpositione s. contractione, non solum usitata in nominibus propriis, sed fere quotidiana: Et quamvis haec voces non possint conciliari, sententia tamen nostra nihil inde detrimenti caperet, cum minime obscurum sit, plerosque Orientis Reges multa & diversissima sèpe habuisse nomina, ita e. g. idem hic Rex quem Chaldaei Nabon-assarem appellarent, à Judaeis Salman-assar, & à Tobiâ s. potius ab ipsis Ninewitis & Assyriis Enem-effer vocatus est: que tria tamen nomina uni competere, & antiquissimi Christianorum Chronologi credidere, & nemo forte, accuratiorem veteris Historiae scientiam præ se ferens, negaverit.

(4) Hebrei scribunt Sancherib, Tobias vero & LXX, Sennacherim, adde terminationem frōmineam, is, & Euphoniam Barbari nominis mutationem, omnibus gentibus & Grecis maxime sollemnem, tunc in voce Sennacherimis invenies ipsum Semiramis.

(5) Ethnicorum Dii, αρδεογύνος, sub utrāque specie colebantur: Fabulas de Hermaphrodito, Iphi, Coenœ, memorare non lubet: Vossio etiam Scytharum Regina Tomyris vir suisse videtur, cum Teimur semper apud eos masculum nomen fuerit: Porro Semiramidem plurimi quidem Nini Conjugem, alii

## ( II. )

- alii ejus filiam, aut Belloparis, Atossam nomine, nonnulli quoque Nebucadnezaris uxorem Nitocrin fuisse contendunt, ipsa vero se pro filio Nini gestisse, proque eo perdi ab omnibus habita fuisse dicitur.
- (6) Ex isto Judaico bello Graeci Indicum effinxerunt, à Semiramide infeliciter suscepimus: namque & Clearchus, teste Jos. c. Ap. i. Judæos ab Indorum Philosophis originem suam habuisse somniavit: Nomen v. Græcum Indici Regis, aliisque circumstantiae ad an illes merito relegantur fabulas.
- (7) Virum feminam appellare, summum fuit, at antiquissimum, & in ipsa S. Scriptura obvium convicium. Sclebant etiam nomina virorum muliebri terminatione deformare. Sic e. g. Sosius ap. Jos. l. Ant. 14. c. 28. Regem Judæorum Antigonum Antigonam nominat, &c.
- (8) Ninyam & Sardanapalam, toto quod ajunt cœlo distantes, nos tamen haud veriti sumus conjungere, & inania illa, eq̄que variis linguis misere consarcinata interjectorum Regum nomina, plane expungere. Fuisse autem hosce duos inter se cum vita tum moribus quam simillimos, Athenæus, Diodorus & Justinus docent. Quod vero ad nomen attinet, admodum verisimile est, Regem hunc, cum patre occiso adhuc impuber regnum adeptus esset, ob ætatem Ninyam (das Prinzen) vocatum, postea v. alterum illud Regiumque nomen præoptasse.
- (9) Manassem ab Assyrii Regis ducibus captum Babylonemque abductum fuisse 2. Chr. 33. v. ii. exprefse traditur: Holophernes igitur non male a Juditha, s. Re publica Judaica, quæ Vi- rum suum Manassem amiserit, ope Ancillæ suæ Abra s. populi Hebræi, peremptus singitur: Notandum vero Judæos nomine Nebucadnezaris omnes Assyriorum Chaldæorumque Reges designare, & alioqui Ethnicorum Regum populorum, que propria nomina parum curare solitos.

B 2

§. VI. Ig-

§ VI.

(6.) ME- Igitur Medi & Chaldaei Assyriacam Monarchiam de-  
DICa. struxerunt, ejusque lacinias inter se partiti sunt, Ægyptum  
vero Regem Neconem, Psammerichi filium, qui Syriam  
(a) Dejo- ip̄is p̄cipuerat, ex ea p̄cipitem exturbarunt. Ambos  
ces.  
(b) Pbra- olim Belus s. Ninus (1) Assyriis subjecerat, sed illos Dejoces,  
ortes.  
(c) Cyax- hos vero Merodacus à Senacherime deficientes, in pristi-  
ares. I. niam assuerunt libertatem, quam tamen Sardanapalus  
illis denuo eripuerat, nisi Medi Cyaxarem, & Chaldaei Na-  
bo-pol assarem habuissent. Ille quidem ruinæ Ninives  
non diu supervixit, unicumque ejus filium Rex Chaldaeo-  
(d) Aſy- rum (2) in cuius fidei atque tutelam pater eum commi-  
ago. serat, sub specie melioris educationis Babylonem accivit,  
Medisque interim vicaria potestate Astyagen (3) p̄fecit,  
(e) Cyax- qui tamen ducta Regis sui vidua, Regiam sibi, non sine ta-  
ares II. & cito forsan Chaldaeorum consensu, sumit dignitatem,  
Cyrus eamque tamdiu retinuit, donec Cyrus Persa invito eam ē  
Persa. manibus extorsit, & avunculi concessu eam sibi vindicavit.

(7.) CHAL- Inferim apud Chaldaeos (4) Nabo-poll-assari filius  
DAICA. Nebucadnezar successerat, Heros fortissimus, qui auctio-  
(a) Nabo- patris Hierosolymam atque Tyrum post acrem diuturnum  
pol-assar. namque oppugnationem solo æqvavit; inde Ægyptum  
(b) Nebuc adn-ezar. quoque invasit, & Regem Apryem (5) regno pariter vita-  
que privavit; Nec minus Babylonem svasu conjugis Ni-  
(c) Evil. tocridis sc̄minarum prudentissimæ, stupendis illis auxit,  
meroda- & coherestavit operibus, quæ Semiramidi postea falso ad-  
eius s. Bel. scribebanfur. Hunc autem filius Evilmerodacus s. Bel-  
fazer. fazer (6) exceptit, eiique in convivio à suis occiso, gener  
(d) Neri- Nebucadnezaris, natione Medus, filius nempe Cyaxaris I.,  
glisar s. tuffectus fuit, à Chaldaës antea Neriglisar, à Medis etiam no-  
Darius. mine patris Cyaxares II., à seipso vero invento nomine  
Medus. Darius

Darius Medus appellatus. Filium is habuit Labosor. <sup>(e)</sup> Labo-  
dacum, quem vix ex Ephesis egressum invidi Chaldaei <sup>sordacu-</sup>  
interfecerunt, & Nabonidum regem crearunt; Illum <sup>(f)</sup> Nabo-  
autem Cyrus Persa acie viclum, & Borsippæ inclutum,  
ad ditionem compulit.

- (1) Patris auspicio, Duetu v. filii, Medi, Chaldaiqve su-  
perati, & Babylon instaurata videtur: De cetero ex Jo-  
sephol. c. Ap. i. & Herodoto l. i. apparet, non Semiramis  
Assyriam, sed Nebucadnezarem, & Nitocin, præ-  
clarissima Babylonis munimenta, atque monumenta  
struxisse.
- (2) Ut enim de arctissimo foedere nihil dicam, Chaldaei etiam  
uxor Nitocris Meda, & Cyaxaris forte soror erat.
- (3) Astyages Græcis est Prefectus urbis vel arcis, qualem  
ille forsitan egerat, antequam regnum invaderet. Sic a-  
lis inter Herodotum & Cresiam facile componi potest,  
qvorum ille cum Cyri avum, hic v. ne cognatum qvi-  
dem fuisse refert.
- (4) Nabo-pol-asar vocabatur antea cum Assyriis adhuc  
parceret Chynil-adan; alterum vero nomen simul cum  
dignitate Regia sibi sumit, qvod tamen non diversum  
est à nomine Nebue-adn-ezar s. Nabuch-odon-osor, cum  
vox media pol & adan s. adon idem significant;
- (5) Apryem Ægypti Regem Nebucadnezaris tempore vi-  
xisse, & ab hoc viclum, vitam cum imperio amisisse,  
Ethnici qvidem negare videntur, qui etiam excidium  
Tyri silentio praterreunt; sacra tamen literæ nec mi-  
nus apud Jos. c. Ap. i. Berofus, Philostratus & Mega-  
sthenes utrumqve omni asseveratione affirman.
- (6) Magnas hic vulgo nectunt tricas, meam tamen senten-  
tiam doctioribus me facile approbatum confido, præ-  
cipue de Dario Medo, quem alias contra omnem Hi-  
storiam veritatem, vel cum Nabonido confundere,

vel post eum demum inferere solent. Jeremias eum  
c. 39. v. 3. 13. vocat Nergal-Sar ezerem Rabh-Mag, Prin-  
cipem Magorum, si Schmidius recte vertit. Cyaxares s.  
Ahasverus Regem Majestate præditum, Darius v. (ut  
Herod. vult. 6.) coercitorem s. conquestorem (lecon-  
querant) significat.

## §. VII.

Hæc utpote obscuriora & controversa, aliquanto  
überius & fusijs tractare debuimus, reliqua vero in ipsa  
Historiarum luce versantia, volanti tantummodo cala-  
mo percurremus. Nimium PERSAS, MACEDO-  
NES, & hos ROMANI de altissimo honorum culmine  
deturbarunt: sed & illi quamvis fortunam ipsam suis  
anteire fortunis, digitoque cœlum quasi attingere vo-  
luerint, Sec. V. tamen Post Chr. Nat. à variis Barbaris,  
& præcipue GOTHS immensâ multitudine ingruen-  
tibus, in Occidente obruti fuerunt. Evidem Sec. VI.  
in Oriente reflorescere cœperunt, sed & ibi Sec. VII.  
SARACENIS fasces submisere, Sec. IX. FRANCI in-  
claruere, quos Sec. IX. NORMANNORUM furor ve-  
xavit. Inde GERMANI tribus continuis Seculis X. XI.  
& XII. reliquas gentes opibus antecesserunt, quos Sec.  
XIII. GALLI supplantarunt, & hos ANGLI Sec. XIV.  
ad incitas fere redegerunt. Sec. XV. violentia TURCA-  
RUM maximum cunctis incusit terrorem, Sec. XVI.  
HISPANI in altum sublati, totum Terrarum orbem  
sub suam subjungere studuerunt dominationem, & su-  
perioritatem Sec. XVII. GALLORUM impotens  
Dominatio denuo magna incrementa cepit, jam vero  
indies decrescere videtur. Sic omnia verti cernimus,  
atque alias assumere robora gentes, occidere has!

§. IX.

Cæterum nos hoc olim argumentum in promisso li-  
bello pluribus exponemus, jam vero ad nostros progre-  
dimur Oratores, qui crastino die de hodiernis Monar-  
chia Hispanicæ fatis verba facient. Et quidem

(1) CAROLUS HENRICUS Wolff Vinaria-Thu-  
ringus, Morbum regium, furiosam puto Monarchiæ  
Eupidinem descripturus, à Nimrode usque ad nostra  
tempora perpetuum carmen deducet, Hispanorum q̄  
potissimum & Gallorum præpostaram notabit ambi-  
tionem, Regi vero Carolo Tertio de recepta Catalonia  
humillime & demississime gratulabitur;

(2) JOHANNES ABEL Hindenburgo-Marchicus,  
Cardinalem Porto-carrerium repræsentabit, Regique  
Hispaniarum moribundo, Carolo III, Philippum An-  
degavensem de meliori notâ commendabit. Cujus ta-  
men nomine

(3) JOHANNES CHRISTOPHORUS KOGGEL  
Harslebienis-Saxo, Carolum Austriacum hæredem  
nuncupabit.

(4) EBERHARDUS Kornuentum Halberstadiensis,  
Catalonos P. Darmstatini verbis hortabitur, ut Ande-

(5) ALBERTUS True Strobekensis-Saxo, Velaf-  
cum Catal. Vice-Regem imitabitur, eique superbe re-  
clamabit.

(6) DAVID OTTO LUETKENS Stetterl. Saxo  
C. Peterburgii loco expugnationem Castelli Mont-Juy,  
& præproperum Darmstatini obitum Regi Carolo an-  
nunciabit. Eademque

(7) JOHANN-EBERHARDUS Koggeler Halber-  
stadi-

(16.)

stadiensis, Consulis instar Barcinonensis, æternum de-  
votissimæ civitatis obsequium pollicebitur,

(8) Tandem prædictus CAROLUS HENRICUS  
Wolff ipsum Regem glorioissimum Carolum III. in-  
ducet, Catalaunos summa & optima quæque à se speri-  
re atque exspectare jubentem.

§. IX.

Multi forsitan erunt, qui hoc genus dicendi leve &  
non satis dignum summorum virorum personis judi-  
cent, verum nos ipsi hoc probe scimus, & hanc veni-  
am, petimus, dabimusque vicissim. Licebit tamen ut  
arbitror, qualem cunctæ Aulicæ Eloquientia speciem atque  
formam in scholis ad umbrare, tatisque ja & ad ravim usque  
declamando exercita Aphthonii Progymnastata, Lan-  
giisque & aliorum florilegia, deserere. Nec sane verendum  
est, ne nos Politici, falcam eorum messem in amississe,  
accusent. Hoc quoque præmonendum puto, omnes  
nostrorum Oratores, cum personarum suscepturnum collo-  
quia unum linguæ idioma postulent, & Germanica à no-  
bis Germanis præ cæteris excolenda sit, Germanico  
tantum sermone uturos esse. Alio tempore Latinum,  
aliisque, si auditores Græci vel Hebræi affuerint, Græ-  
cum & Hebraicum adhibebimus. Illos vero qui se ma-  
gnum quid fecisse putant, cum Græca Latinis junxe-  
re, & patriis intermixuere petita verba foris, Canusini  
more bilinguis, non vituperamus quidem, valebit  
tamen illud Cassianum etiam in hisce  
rebus: Cui bono?

\*\*\* (O) \*\*\*

nen die  
h schön,  
r Prinz  
eris auf  
gegeben:  
e, war  
en Fleis  
t vor 6  
r, werth  
auff.  
mag der  
etwa ein  
gum we-

ich nicht  
und Fin  
pen Wil  
ge Verh  
pferlichen

ufel  
weifel  
verbrecht  
Recht.

s zu sagen  
dem Quar  
Grillen,  
denn nicht  
ben, aber  
hler würde

t Hillig und  
o ein Arbel  
an mit ihm  
du dich ihm

ack vor gute



AB 60047




TA → 0C

VSB

Yuli 1993

W



# EPITOME Famofisimarum MONARCHII. ARUM,

Qvarum non Qvatuor tantum, sed multo  
plures, ad imperium Orbis, ante & post Christi Nati-  
vitatem ad spirasse, & imposterum quoqve ad-  
spiraturas esse, evincitur,

Simulqve

Domini Patroni, Fautoresqve, ad Aetum Ora-  
torum de hodiernis Monarchiae Hispanicæ fatis,  
d, 19. Jan. 1706. h. 8. antem. & seqv. Honorificâ  
sua præsentia ornandum,  
perofficiose invitantur

**CASP. ABEL,**  
Rect. Schol. S. Johann. Halberst.

---

HALBERSTADII,  
Typis Joh. Erasmi Hynitzsch, Reg. Borusf. Typogr.

		Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
		Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black														

**Farbkarte #13**

B.I.G.